

**Disputatio medica inauguralis de mixtura simplice / [Johann Philipp Gmelin].**

**Contributors**

Gmelin, Johann Philipp.  
Camerarius, Rudolf Jakob, 1665-1721.  
Universität Tübingen.

**Publication/Creation**

Tubingae : Literis Hiobi Franckii, [1720]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/bakrhmvv>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS

DE

MIXTURA  
SIMPLICE,

QUAM

PRÆSIDE

D. RUDOLPHO JACOBO  
CAMERARIO,

FACULTATIS MEDICÆ DECANO  
SPECTATISSIMO,

*Patrono & Præceptore suo Honoratissimo,*

PRO

L I C E N T I A


Supremos in Medicina Honores legitimè  
consequendi,

*Publico Eruditorum examini submittit*

JOHANNES PHILIPPUS GMELIN,  
Stutgardianus.

*Ad Diem 24 Januar. M DCC XX.*

*Loco horisque consuetis.*



TUBINGÆ,

Literis HIOBI FRANCKII.

Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30773568>



Σ. ⊙.



E sit offendiculo Lectori non Medico artis nostræ terminus! *Simplicitas* & *Mixtura* quidem stare simul nequeunt; habent tamen pro se vulgare illud: *Termini valent, ut nummi*, quos non ipsi cudimus, sed quibus cusis utimur, valore sæpe dubio. Quanquam non ignoramus illud Philosophi: *Sapientia esse, nomina rebus imponere*; interim hoc nomen est vel tironibus notum artis ministræ, in quâ novare vel mutare quid temerè, vetant prudentes. Non desunt tamen Synonyma, *Mixtura de Tribus, Diatrion Spirituum*, uti *Diatrion Santalon & Pipereon* Species habuit Antiquitas, imò *Pillulas Trium Diabolorum* dixit quidam suas e tot Purgantibus compositas. *Simplicitas* porrò sensu sumitur vario, in partem tam bonam quàm in malam. Non placet ruditas, hebetudo, credula, incauta, fraudi obnoxia; placet candor ingenuus, infucata *veritas*, fraudis nefcia. Beatus, si quis eâ gaudet nudâ & simplici, nec pro Junone nubem amplexus, nec inexplicabilibus tricis, nodisque implexus. *Nostræ* quidem *Mixturæ* prædicatum illud procurasse videtur tam *miscibilium* paucitas, quàm *commixtionis* facilitas. Hoc autem omne & quicquid est talium, (e.g. inventor *Paracelsus, Guinterus Andernacus*, &c.) nos modò non morabitur, quin properemus ad rem ipsam; non tamen sine præmissâ *benedictionis Divinæ imploratione!*

*Tria* sunt Mixturæ Simplicis *Elementa*, recensenda & consideranda prius figillatim, quàm conjunctim. Ordine arbitrario primum sit *Acidum Vitrioli*, seu *Spiritus*, qui in *Pharmacopœjâ Augustanâ renovatâ* requiritur Bonus pro nostrâ Mixturâ, pro Tincturâ Bezoardicâ præscribitur Spiritus Vitrioli simpliciter, in Lexico *Junkeni* Volatilis: ubi tamen proponitur quoque Spir. Vitr. *Martis*, præ vulgari corrosivo *mitior*, cum laudibus ad affectus, ubi acidis opus. Idem *Autor* alibi prærogativam adscribit *Vitriolo Viridi* ex *Minerâ Martis dictâ solare* efflorescenti, ex eoque parat Spiritum suum nobilem, vel solum, vel pro suâ Tincturâ Bezoardicâ. *Volatilis* autem vitrioli Spiritus singularis, qui vel olim chymicè laborantium s. destillatorum nares offenderat, sed à *Stahl* demùm mense suarum observationum augusto fuit declaratus, usum medicum ferè adhuc expectat: interim vel in antecessum à *Zwelfero*, qui se suo tempore censorem pharmacie vel reformatorem gessit, pro *novâ mixturâ ad epilepsiam pro puerulis* fuit determinatus Sp. vitr. vol. sulphureus. Et de tali retulit mihi *Hospes* & *Patruelis meus Honoratissimus*, *Dn. Job. Georg. Gmelin*, laboribus pharmaceuticis & chymicis assiduus & curiosus, in Sueciâ epilepticum pastorem ejus usu fuisse liberatum. *Dan. Ludovici* in Pharm. roridum præscripsit; aliàs ros Vitrioli Phlegma est, ex Cucurbitâ destillandum, cum Spiritus requirat Retortam: Autori verò ros ille mineralis subtilioris acoris, sulphureique odoris liquor est, qui è Vitriolo Crudo per arenam ad ultimam usque guttulam destillando prolicitur. Qualis an vulgo pro ipsius Mixturâ sumatur, dubito. Est enim in possessione vel quasi tali Spiritus Officinarum benè quidem acidus, nec tamen ita concentratus, ut Oleum audiat, quod in hâc formulâ nuspiam occurrit. Cum Acido illo, quod est in & venit ex Vitriolo idem esse hodiè agnoscitur, quod est in & ex sulphure; perinde hinc fuerit, si sumatur Spiritus Sulphuris per Campanam dictus, quin melius, si quidem purior, gratior & subtilior. Spiritibus Mineralibus usitatis, quos Mixturæ Simplicis similibusque destinant, *Slevogtus* substituit *Clyssum* acidum, scil. ex Nitro & Sulphure obtentum, non merum Nitri Spiritum; ut &

*Lemery*

*Lemery* in curs. chym. clyffum magis minusve acidum vel nitrosum pro diversâ Sulphuris proportione scripsit. *Angel. Sala* in tartarol. habet Mixturam quandam similem, sub titulo Spiritûs Tartari Compositi, in quâ loco Spirit. Vitr. legitur Spirit. Nitri, suo sensu correctus. In *Tincturâ Bezoardicâ Essentificatâ Wedelii* complementum Speciebus & Menstruo addit Spiritus Salis. Transeat hâc vice Salis & Nitri Acidum, maneat recepto usu & communi hâc tenus consensu tertium illud Vitrioli. Cujus laudes in cit. pharmac. ita se habent: *In variis Februm generibus summa utilitatis est, humorum enim putredini resistit, eorumque incendium prohibet, vitiosos corrigit, phlegma consumit, per urinas & poros cutaneos operatur.* Hâc tamen cum grano Salis sumi debent; est enim inter Cautelas Præcticas, acidum illud & quas ingreditur compositiones minùs convenire personis teneris, infirmis pectore, alibive læsis, frigidis temperamento, ætate, sexu, fœminis, perindè ac distingui solet inter usum Sulphuris & Spiritûs Sulphuris, quorum illud integrum morbis Pulmonum datur, hic ut acidum resolutum liberum prohibetur; quod rectè etiam à *Lemery* l. c. fuit inculcatum. Interim nihilominùs tempora, quibus acidum Morborum Causa habebatur ferè unica, præteriisse videntur, etiam non sola alcalia seu fixa, seu urinosa, amplius ita præscribuntur, quin renitantur acida, & præter opinionem quasi postliminio restituantur, seu pura magis seu enixa, aut modo dicendo temperata: conformiter fortè compendio *Baglivi*, qui Chronicis acidum, Acutis alcali pro causa assignavit. Et *Ludovici* rationem hîc acidi Spiritûs expressè posuit in malignarum quoque comprimendis nau-seis. Cæterum, quândò & ubi acida convenient, secus autem noceant, ex professo doceri solet à practicis materiæ medicæ Scriptoribus, e. g. *Wedelio* in amœnit. etiam *Fullero* in pharmac. ext. *Triumphus autem acidorum* in *Act. Lips.* nuperi augusti citatus ex Italiâ ad nos nondum pervenit.

*Alterum* ex ingredientibus Compositionis nostræ est Spiritus Tartari, quem Autores passim volunt genuinum, propriâ manu elaboratum, sed, quod mireris, alter rectificatum, alter non rectificatum,

catum, mirari autem desines, ubi diversas Autorum mox audies intentiones. *Zwelferus* ante omnia Tartarum prius pro destillatione requirit unicâ solutione & crySTALLIFICATIONE purificatum : ita enim defæcatus & ab inhærentibus stiptibus liberatus non graveolentem, sed fragrantem & insigniter penetrantem promittit Spiritum cùm à Spiritu fœtido sæpè contrariæ operationes & pessimi quoque suboriantur effectus. Quorum quidem prius illud non videtur tantum importare, alterum autem clarius fuisset explicandum hoc tamen fatendum est, & negari nequit, gratiam odoris & saporis non esse ita comparatam, ut vel ex hoc capite contra ipsam quoque mixturam non audiantur interdum ægrorum exceptiones. Idem Ille porrò *Spiritum Antimonii Tartarifatam* substituit, sc. ex Cremore Tartari & Antimonio paratum ; addito quoque Nitro. Sic fiet altera Species Clyfforum *Slevogtio* dictorum alcalinorum acidis contradistinctorum. Quid autem videtur de *Spiritu Veneris Zwelferi*, quem pro complendo ternario suæ mixturæ clyffo & spiritui acido volatili addidit ? Si placet de prærogativâ hujus præ aceto destillato cum Dnn. Opponentibus disputabimus. *Junker* l. c: *Spir. Tart. non debet esse acidus, sed acidum destruens, qui ver ex Tartaro tanquam acido Spiritum acidum præ tendit, simplex est ; v rectificando sistitur ei Spiritus majorem partem volatilitate privus, nullius valoris.* *Acris etiam Censor est Rivinus* in Cens. Med. Officin. *Numquid aliud Spiritus Tartari, quàm acidum Pblegma, oleo adust aliquantisper imprægnatum? atque idem nihilominus ingreditur Mixturam simplicem, reverà simplicem, i. e. minus ingeniosam, item Tincturam Bezoardicam sine Bezoar.* Et in *Manud. ad Chym. Pharm.* Qui vulgè vendi solet *Spir. Tartari*, non nisi Pblegma est acidulum, ab *Empyrematico Oleo fœtido quodam modo tinctum, adeoque nullius valoris.* Unde ibi pergit : Si aceto Vini Alexipharmaca virtus inest, cu loco *Spir. Tart.* non idem recipis destillatum ; nam & adustum sponte fluit, si ad ficitatem usque destillationem continuare velis ; atque ita fat acre prodit, ut partem aliquam Spiritûs Vitrioli affundendi detrahare tutò queas. Tot exceptionibus & cribrationibus est obnoxius Tartari Spiritus ! Acetum autem Chymicæ no

est indigum, evaporiston per se veneno vegetabili Antidotum, ipsius Theriacæ accessorium vehiculum; ut constabit ex Disp. Inaug. Fratris Germani, *Wilhelmi Gottfridi*, Studiorum & Honorum Socii Charissimi, Exoptatissimi. Qui plura volet de illo Spiritu, evolvat *Sale Tartarologiam*, *Helmontii Blas & tria prima*, & *Boylei Producib. Princ. Chym.* ubi de *Spiritu suo anomalo seu adiaphoro*: Tartarum enim destillatum geminum dare Spiritum observat, unum acidum, alterum anonymum, insuper tamen tertium, Spiritui urinæ vel fusiginis similiorem, qui cum acido isto efferbuit; cum dubio, utrum medius ille non generetur per commixtionem tenuiorum olei partium ad usitatam exilitatem redactarum, ut hac ratione fiant aptæ, ad exquisitam sui cum phlegmate permixtionem. Scilicet præstò videtur esse hîc mediator Salinus, & ipse ita Spiritus Tartari per se talis suo modo jam dum est Mixtura quædam Simplex, ex acido, urinoso & adiaphoro illo: quale quid & olim notatum fuit in *Disp. de cordio*.

Atat de Spiritu Tartari vix quisquam sollicitus magis fuit *Ludovico*, ut alibi, ita in *E. N. C. 6. inquirendo in majorem ipsius proveni-* *entiam*: ubi duo notat, vulgò venalem volatiliori suâ parte spoliatam, residuâ aciditate, consuetis destinationibus (inter quas una non ex postremis erit nostra Mixtura) plerumque minus quadrare, propriis autem manibus destillatum adeò exiguâ quantitate provenire, ut si polychresta vis deforet, operæ pretia meri vix videatur ejusmodi fœtoribus ac tædiis occupator. Ex tenuibus ergò Ipsius producemus *tria*: *Primus* erit, quem cum vitriolo destillavit, Spiritus, qui non placuit Ipsi, quia acidior; *Spir. aperitivus Penoti* hîc transmittitur. *Alter* cum Aluminis ana penetrantissimus, & Sale volatili (ultra urinæ Alumini debitæ modum) affluentissimus, item & ille ad urinositatem tendens, si admixto Tartari Sale pellitur, nescio cur ab Ipso ibi ferè præmittitur, cum prius mentionem talis fecerit omninò pro scopo nostro, & facienda sit proximè mentio ulterior. *Tertius* tandem cum abduplo sacchari destillatus, à tartareo usitatæ curatæque destillationis sapore & odore vix discernendus, effectûs plane ejusdem, quan-



quantitate largior, ab Ipso in Mixtura seu Tinctura Bezoardica  
 similibusque confectioibus fuit adhibitus. Sic autem mixtura  
 acori potius favet, plus enim acidi obtinetur ita, minus urinosi;  
 Ipse tamen talem tartari spiritum, potissimum hinc diaphoreseos au-  
 ctorem dixit. Ergo cautè posthac *distinguendum erit inter Spiritum*  
*Tartari vulgarem & volatilem urinosum.* Sic & Rivinus lcc. citt: *Nisi*  
*acidum destruatyr Tartari, quod volatile figit, parum hujus per destilla-*  
*tionem haberi potest, ergo non inconueniens addere Calcem vivam. Et,*  
*majora speras de Sale Vol. ant Spiritu Tartari urinoso, facillimum erit è vini fe-*  
*cibus putrefactis eos parare, ut tanta ignis tortura non indigeas, neque*  
*additione Nitri, Calcis viva, aut Silicis.* Citatus tamen Ludovici Spi-  
 ritum è facibus ficcis fuligineum quid potius quàm Tartarum ole-  
 re, & super alcali rectificatum gravius tamen adhuc quidpiam etiam  
 præ Cornu Cervi spirare notavit, ni repetitæ rectificationes non  
 nihil iuverint. Ergo Eph. ann. 4. *Tincturam Bezoardicam proposui*  
*parabiliorem.* Rationem hujus dedit Ipse hanc: *Cùm Bez. Tinct. h.*  
*locorum ita innotuerit, ut vulgus etiam indifferenter eam loquatur ac in-*  
*ternoscat, odor porro genuini Spir. Tart. etiam rectificati passim ita vi-*  
*queat supprimi, ne delicatioribus inibi negotium quandoque faceffat, &*  
*proin & hi acceptiorem, ego verò in quotidiana Praxi peculiariorẽ, ne-*  
*cujusvis iudicio patentem, haberem formulam, hætenus per annos al-*  
*quot sequenti in omnibus malignis præstantissimã, viribus cum Tartarisa-*  
*iusdem, sepe vegetioribus, odore ob prævalentem Theriacalem Spi-*  
*ritum longe minùs gravi, parabiliori præterea, usus sum. &*  
 Scilicet Spiritui Tartari substituit Spiritum Salis Ammoniac  
 ut purus & fortis fiat, super Salis Tartari, vel potius Tartari  
 Nitri invicem detonatorum, alcali dilutum ita destillatum, ut  
 librâ unâ salis ammoniaci, Spiritûs etiam libra una habeatur  
 (Quod curiosum est phænomenon, dignum quod proponatur  
 Chymicis, mihi benè hætenus paradoxon, nisi multum acceda-  
 phlegmatis: Cum Langio fortè dicet quis, volatilifari tunc fixa  
 non simpliciter separari volatilia.) Volatilem autem voluit etiam  
 Rothius in chymiâ, Tartarum cum suo alcali, oleo per deliquium, de-  
 stillando ex cucurbitâ per alembicum, & rectificando Spiritum  
 cui

cum Absorbente Calce Viva vel Sale Tartari : cui accedens Spir. Vit. dephlegmatus facietenixum, quale dicetur.

Cæterum Spir. Tartari vulgaris laudes in Pharm. Aug. sunt hæ: *Est Medicamentum diaphoreticum, & egregium aperiens, unde in men- struis retentis, Paralyfi, Ictero, Plenritide, Hydrope, mira præstat.* Ex praxi autem Stahlianâ *Junkerus* cap. d. nephritid. Spir. Tart. quâ empyreumaticum acrem inter diuretica pessimi effectûs re- censet, nec concedit ex Symbolismo ad concretiones Tartareas dis- solvendas pro menstruo Calculi. *Curiosi Uratislavienses* anno 1702: *Spir. Tartari ritè præparatum insigne esse medicamentum carminativum, te- stari possumus.* In App. E. N. C. Cent. 4. *Lochnerus* Spir. Tart. verè Volatilem pro Essentiâ Pareiræ Bravæ laudat. *Wepferus* jam olim E. N. C. ann. 2. ad Sal Volat. fæcum recurrit pro Sale Tartari, nec tamen per Hyperbolen de ipso locutus. *Lemery* ex Tartaro Spir. Volatilem se obtinere non potuisse confessus, & prætendens, si rectificatio fiat cum Coralliis, Oculis Cancri, non obtineri, nisi partem Aqueam; ergò è fecibus destillavit Spir. & Sal, sed qui- bus nihil sit præ cæteris peculiare. Addit autem: *Salia Volatilia* conducunt, ubi pori pro diapnœe aperti, & suppetit humidum; sed malè res cedit, humoribus non dispositis, quia movent, con- fundunt, ut febris intendatur, delirium oriatur. Habendam er- gò rationem temperamentorum & morborum, &c.

*Numerum Mixturæ ternarium complet Spiritus Theriacalis Cam- phoratus.* Circa quem paucis notabimus, primò *Zuvelferum* Spi- ritui Vini pro illius præparatione substituere Spiritum Juniperi; (Quem non omnes æquè ferent; Et quid opus est Spiritu quorun- dam frumenti? cum Vini nobis suppetat abundè, non simpliciter etiam, sed & lavando rectificatus.) dein Myrrham, Crocum, The- riacam solùm infundit, Essentiâ per digestionem obtinendâ con- tentus, seu Spiritum destillando non abstrahit, sed Theriac. Camph. suo modo ordinat, Etiam *Ludovici* tam in Eph. Tinctu-  

B

ram

ram modò parat è Theriacâ cum Spir. Vini rectificationis octuplo, (non sine parenthesi tamen, posse illi substitui Species Theriacales,) quàm in Pharm. omisâ Theriacâ, sive misso Melle, selecta Alexipharmaca vegg. non sine Opio & Castoreo, Spiritui Vini non adeò de phlegmato infudit simpliciter, non destillavit; & Crocus quidem Alembicum non transcendit, & Myrrha Spiritum non habet pro menstruo adæquato. Tandem & Camphora accedit, vel Speciebus addita, vel Alembici rostro indita, sed à quibusdam non admittitur, nisi cum grano Salis; *Stablinus* quidem loco non uno Mixturam vult modeste Camphoratam; ne quid nimis. *Rothius* Spiritui Theriacali ad latus ponit illum ab Essentiâ Alexipharmacæ abstractum, & ad uncias hujus quinque concedit Camphora drachmam semis. Laudes tandem Spir. Ther. camph. in Pharm. Aug. sunt hæ: *Egregie ad Sudores eliciendos in Peste, Ictero, Quartana & similibus confert; corpus penetrat, & quicquid noxium reperit, corrigit atque expellit.* *Riedlini* epicriferis ita se habet: *Quem quidem solum extr. Mixt. Simpl. usûs internirvarioris, externè tamen partibus Gangrena periclitantibus opem ferendo laudem meruisse novimus.*

*Simplex* dicitur nostra *Mixtura*, usuales tamen sunt simpliciores miscibilium illorum *combinations*, quando scil. duo saltem ex ipsis concurrunt ad constituendum unum tertium. Ita quidem Spiritus primus *Vitrioli* cum *Tartari* altero non aequè solet jungi; sed verò hic fiat *volatilis*, aut fumatur è dictis *urinosus* quicumque purior, vel gratior, cum hoc coibit *Vitrioli* Spiritus in Speciem *Salis Enixi* singularem. Officinale aliàs est *Sal Ammoniacum*, nuper ex Belgio laudatum Angliæ Antifebrile, sed minùs probatum in *Academia Berolin.* Accessit *Nitrum Ammoniacale*; Sit eodem jure & titulo *Tartarus Vitriolatus Ammoniacalis*; vel *Sal Ammoniacum Secretum Glauberi* laudatum *Rothio* in Chym. non solum ad Metalla, sed & ad Febres. Conferre autem operæ pretium erit tam sal illud singulare *Stablini* in spec. becch. ex copulâ volatilis sulphuris & urinosi oriundum quàm in E. N. C. Cent. 6, *Flores Vitrioli philosophicos Heldii*, ve  
Sa

*Sal Narcoticum Hombergi* cum suis laudibus. *Welschius* in Pharm. August. *Spiritum Vitr. rect. opt.* cum *Sale Cornu Cervi* mixtum, & artificiosâ digestionem diligenter unitum, prætulit Spiritui Cordiali *Angel. Sale*; cum hac Epicrisi: *quo ipso non aliud, quàm novum aliquod ens, vel aliqua Ammoniacalis solutio obtinetur, nullum singulare artificium continens, nec ullius laboriosæ digestionis indigum.* Cæterum, qui in & cum *Vino* nostro bibunt suum vel *Cornu Cervi*, vel *Ammoniaci Spiritum*, quid aliud nisi extemporaneum sibi parant Enixum, vel Mixturam quasi Simplicem. Et quid dicemus de *Liq. Corn. Cerv. Succin.* non sine prævia lucta enixo? qui quò plus olei utrinque foetidi servat, eò minus habet gratiæ: de hoc autem præter alios *Stablinus* in *diagr. d. proxevecr.*

Rarior est in praxi combinatio Spiritûs primi cum tertio; frequentior cum *Spiritu vini* simplici, ad temperandum. Quis enim ferat Spiritum Vitrioli in ore solum? Quò magis paradoxon est illud *Budæi*: Virginem à fumo & vapore incendii quasi mortuam à ter tribus pro dosi guttis sine vehiculo instillatis ex tanto periculo fuisse liberatam, ex statu quasi emortuali restitutam. In titulo quidem scripti legitur *Spir. Vitr. Philosophicus*, alienæ profapiæ; sed in tractatu passim *Spir. Vitr. simpliciter*; ubi & de usu hujus videsis plura, etiam de quæstione: an calidus vel frigidus sit ipse, per se vel per accidens? Aliàs requirit vehiculum aqueum benè multum diluens; cujus specimina prostant tam in *Obs. Thoneri*, quàm *Scriptis Sydenhamii*: ne quid dicam de *Tinctura Rosarum acidulata*, orgasmo & *Hæmorrhagiæ æstuanti* bene opposita; vel de phænomeno notorio *Julepi Violarum* ex tempore ab illo purpurascens, &c. Quid quòd fontanam quosdam bibere miramur, paucis *Spir. Vitrioli* guttis alteratam, acidularum quocunque nomine ipsis insignitam: uti *Clysto* fortè alteratur ægrorum potus. Verum enim verò in *Mixtura Simplicis acidum* non tam diluitur aquâ, quàm cum *Spiritu* dicitur fieri dulce. Vah! quot Spiritus inflammabiles? quot sociantur modis?

dis? denominandi, salitus, saccharatus, piperatus, perfumatus; & quid non? Transeat! produci modò meretur *Spiritus Vitrioli dulcis*, vel ex hoc capite, quòd in *Consilio Austriaco* laudes meruit ad contagionem. Optandum, ut qui hunc citant, determinarent modum parandi, & proportionem miscibilium; nam magni interest. Scilicet utrum simpliciter admisceatur & diluatur *Vitrioli Spiritus*, ut fieri solet aliàs, e. g. in *Elixire Proprietatis*, & hâc ipsâ mixturâ simplici, juxta veterem compositionem? vel an oleum illius, acidorum summum, forte, recens, spiritui vini etiam rectificato in gradu summo ad partes æquales jungatur? uti *Stablinus* quidem in *Disp. d. vitr.* cautelam inter miscendum ne lædatis observandam dedit: Spiritum autem prolectum, utrum mereatur dici *Anodynus*, &c. experientiâ probari voluit. Quodan hætenus factum fuerit, sunt qui doceri gestiunt. Eadem quæstio valet de *Spiritu Nitri*, utrum cum ana vel triplo Spir. Vini misceatur modò, vel destilletur insuper? an servetur prior saltem *Spiritus singularis*? quid fiat cum subsequo *Phlegmatico*? quid cum ultimo acidiorè? *R. Boyle* d. *Orig. form. & qualit. Exp. X. Oleum vitrioli aut Sulphuris & Spiritum Vini rectif.* non quantitate sed pondere æquales, miscuit, digessit, destillavit, obtinuit inde Spiritum, non modò fragrantem, amabilem, ferè incoercibilem, quem in medicina non exigui fore usus credidit, sed & alterum, planè alium, foetidum, qui propius adstantes & inhiantes penè suffocabat; secutus tandem fuit ab utroque diversus, pergratus, & aromaticus; residuâ massâ opacâ, miræ conditionis. In *Stult. Sap. Beccheri* leguntur tales quoque guttæ, venditæ pro insigni conservativo & consolidativo, non sine mentione residui illius nigri, Aquâ Regiâ solvendi, & præparandi, ad mirabiles in corpora metallica & humana effectus. Huc omninò spectat ex *E. N. C. Cent. 7.* vera atque genuina *Spiritus Vitrioli Antepileptici Paracelsi*, atq; exinde *Mixtura simplicis*, præparatio *Pezoldti*: quam prius videtur innuisse *Acætorum Berolinensium Director*: plures autem ibi encheireses & circumstantiæ merentur legi, observari,

sevari, & addi dictis olim à *Kœnigio*, *Inkeno*, &c. Etenim è *Vitriolo calcinato*, *Spiritu Vini irrorato*, per *destillationem* obtinentur *Spiritus*, qui vel odore suo ista *Boylei* referunt phænomena. Et quid videtur de illo *Ludovici*? Scilicet de *Vini Spiritu* (ut *Vina* solent) *Sulphure* per quàm plurimas repetitiones sufficienter perfumato; cave accendatur. Adde tandem *Mynsichti Elixir Vitrioli*, & à *Fullero* ipsi substitutam *Misturam* ex *Aquâ Cinnamonomi*, *Oleo Vitrioli*, & *Caryophyllorum*. Transeant hâc vice cæteri *Spiritus dulces*; Unum illud ex *Ang. Sala* accedat: quem hic *Spiritum Nitri Correctum* dixit, ipse etiam explicuit, per *Mixturam* cum ana rectificati *Spiritus Vini*, sed non vulgaris, verùm ex *Cretico* vel *Hispanico* puro destillati.

Secundus cum tertio, *Tartari Spiritus* tam *Vulgaris* quàm *Volatilis* cum *Theriacali*, rarò etiam ita soli miscentur. *Wedelio* *Spiritus Tartari Myrrham* recludit, sic viam parat, ut cum *Spiritu Vini* extrahatur *Essentia Myrrhæ Balsamica*. Notius & frequentius est connubium *Vinosi* & *Urinosi*: Quanquam enim sub certis circumstantiis fluiditatem suam non æque servant, sed consistant in offam quandam; etiam difficultates occurrant in cursu *Lemery* circa obtinendam ipsorum conjunctionem; ipse tamen *Spiritus Ammoniaci Vinosus* in exemplum vocari potest. *P. Lana* ex combinatione *Spiritus Orionii* & *Sulphuris Cœlestis* oriundum *Spiritum* pro *Auro Potabili* singulare menstruum commendat, in *Magist. nat. & art. t. 2.* Non prætermittendum tamen sub finem hujus paragraphi, *Spiritum* etiam *de Tribus*, s. *Carminativum* fuisse dictum, qui ex *Nitro* & *Tartaro* per *ret. tub.* pulsus excipitur in recipiente à *Vini Spiritu*. Posset autem ita excipi *spir. urinosus* quicumque à *subjecto vinoso* & *acido*; sic absolvetur *Mixtura simplex*.

Vel tandem ergò ad omnium istorum concursum; qui *Mixturæ Simplicis* dedit nomen *Spiritus Diatrion*. Ubi notanda proportio  
B 3
ingre

ingredientium, Spiritus Theriacalis, Tartari, Vitrioli, juxta pharm. august. in *mixt. simpl.* ut 5. 3. 1. in *tinct.* Bez. ut 2. 1 $\frac{1}{2}$ . & q. s. ad saporem acidulum; cujus utrinque habebatur ratio. In *mixt. Ludov.* ess. ther. spir. vol. spir. vitr. ut 10. 8. 2. Qui non Spir. sed Ess. Ther. cæteris junxit *Zuvelfer*, ex confusione ipsorum præcipationem quandam fieri notavit, jussit ergo Mixturam filtrare. Qui vel colorem volunt clariorem, vel conjunctionem intimiorem, vel acidi temperationem, Mixturâ Simplicis non contenti, *destillationem* insuper instituunt, & obtentū prædicato *alba* insigniunt, sic distinguunt, aliis tamen supervacaneam & non probatam. Cui bono autem vel Santalo, vel Papavere Err. vel Baccis Paridis *tingitur* Mixtura, & vocatur Tinctura Bezoardica? quantula enim has intercedit differentia, nisi in dicto non tam à Theriacâ cum Myrrhâ, Croco, quàm cum selectioribus Speciebus Alexipharmacis abstracto Spiritu. Et quid est *Tinctura Corallorum cum Succo Citri* ad modum *Rothi* parata, quàm Species quædam Mixturæ Simplicis? si quidem solutioni Corallorum cum acido inspissatæ accedit urinosus Spiritus, & hoc abstracto, (scil. quantum non detinetur) affunditur Spiritus inflammabilis, quâcunque gratiâ alteratus. Idem est judicium de *Liquore Terra Foliatæ Tartari*, & *Essentiâ Anodynâ* ejusdem, nisi quòd ibi subsit urinosum, hîc lixiviosum. Simplicius: Spir. vini solvit alcali, si aceto prius fuerit alteratum, absque hoc non æquè.

De viribus & usu Mixt. Simpl. in Pharm. laud: *Nobilissimum medicamentum ad plurimos morbos, uti obstructiones viscerum reserandas, pleuritidem, uterum calefaciendum, venenum & malignam materiam in Febris per sudorem discutiendam existit.* De Tincturâ Bezoardica: *Vires ejus sunt nobilissime, in primis Alexipharmacæ, & in Febris tam continuis, quam Intermittentibus salutare, sudores movet, obstructiones aperit, flatu dispellit, & urinam movet.* Accessit nihilominus nota benè: non tamen in omni morbo & omni tempore convenit; unde non sine prudenti consilio, ejus usum esse inveniendum, secus ac vulgo fieri solet, consu-

consulimus. Et Commentator Riedlinus: Hodie tamen in tam frequenti usu non est, ac olim fuit, cum tinctum hunc Spiritum & quodammodo mutatum sub Tinctura Bezoardicæ nomine venditent, quæ in tam frequenti est usu, ut fere in abusum venerit. Et in seqq: Nota verò, quando sanguis nimium effervescit, & calor intensior per quæcunque indicia externa constat, tum minus tuto eandem exhiberi. Sic & apud Junkerum illæ Tincturæ Bezoardicæ, quæ calidæ, & Opio insuper inquinatæ, (qualis est illa eff. Lud. quæ cum duobus demum spiritibus facit mixturam Ipsius simplicem) quovis modo in Febre Synochâ rejiciuntur: ubi tamen Mixturæ Simpl. locus adhuc conceditur; perindè ac in biliosâ, quin Peste ipsâ. Scil. respectu acidi, quod sub solitâ cautelâ & hîc sanguine fluidiore instructis, & liberis à tussi, vel aliis pectoris inflammationibus, conceditur, suadetur.

Testimonia Practicorum multa conquirere, non videtur esse opus: occurrunt passim. Esto tamen ex obviis modò tam hoc Benzoni in Act. Hafn. 4: *In Febribus malignis & pestilentialibus magni usus Spiritus ex Tartaro, Vitriolo, cum Aquâ Theriacali, de quo Andernac. d. nov. & vet. med. quàm illud Bergeri ex Disp. d. inflamm. cord. ubi in Febribus quibusque inflammatoriis laudatur Mixtura Paracelsi, (rectè parata) juncta in primis Spir. Nitri Dulc. decoctis addita, ita siti simul medetur, vel aquis aut fero, ut diluendo, temperando, aperiendo, diaphoresis adjuverur. Scretæ d. febr. mal: In principio malignarum, si statim symptomata in pectore laborem facessant, in suffocationis periculo, veterno, &c. inter alia, mixt. Simpl. Lud. à drachm. duabus, ad unciam semis, uno haustu ebibere, &c. est quasi egrum, ex erebi faucibus eripere. Quomodò autem sapiet illud ex L. E. Kænigii: Succ. Beccabung. Nasturt. Aq. Acetosæ aa. unc. tres. Mixt. Simpl. Lud. Scrupulos duos, ad drachmam unam, Antimon. Diaph. Scrup. duos, Lap. Prunellæ Scrupul. unum. M. pro 3. vicibus, datâ dosi mane summo ad sudandum: quàm plurimi Continuis & Intermittentibus laborantes hocce curati. Sic ergò*



ergò mixtura Simplex usurpari *vel sola* in vehiculo congruo, *vel addi* potest laudatis aliàs *essentiis chaquerilla, scordii, pimpinella, &c.*

Ex nostris familiare est *Excell. Dn. D. Zellero*, Prof. & Arch. Celeberrimo, malignis opponere Mixturam Simpl. Lud. cum Pannonico & Diascordio in Aquis & Syrupis. Nec tamen est usus mixturæ solùm ad acutos, valet ad chronicorum quoque aliquos: Speciminis loco esse potest *Aqua Splenetica*, quam *B. Parens, Dn. D. Job. Georg Gmelin, Consiliis Medicis quondam per Saxoniam & Wirtembergiam Inclytus Archiater*, reliquit Officinalem. Descriptio autem hæc est: *℞. mixtura simpl. Lud. ℥j. ess. castorei Scr. j. elæosach. Succin. Scr. ij. aq. meliss. mentha. epilept. Lang. aa. ℥j. M. D.* Qualium utique formularum plures invenio in consil. Ejusdem mscr. per affectus varios præscriptarum. Quæ mihi etiam ex praxi suâ laudatissimâ confirmavit *Frater Primogenitus, Parentis instar Venerandus, Dn. D. Georg Fridericus Gmelin, Aula Wirtembergicæ Medicus Meritissimus.* Spiritum autem tartari pro istâ misturâ fuisse sumtum ex vini fæcibus destillatum volatilem, istis omninò videtur adjungendum. In tabulâ tamen *Junkerii* ad asthma spasticum hæc est cautela: *quando pathemata hypochondriaca sensibiliter complicata sunt, mixtura simplex, leniter camphorata, benè acidulata, & sine regimine usurpata, utilis est: hæc enim flatulentis hypochondriacis subjectis egregiè conducit. Adeò variant rationes practitorum.*

In Pharm. Aug. fuit etiam *Spiritus Diapente*, sed in edit. ult. interminùs usualia relatus. Scil. tribus nostris accesserat etiam illud *Parracelsi Elixir celebre Proprietatis & Spiritus Salis*, in quo jubebantur olim solvi priùs decem *Auri folia*. Undè constat, subindè habitam fuisse rationem acidi, ex usu medico non excludendi, sed sub mixtione multiplici variè contemperandi. Quod verò aurum concernit, etiam *Fr. Hoffmannus* liquori suo mox laudando addidit *Liquorem quendam Solarem*: Et in Tincturâ quoque *Helcheri Solari* videtur esse acidum cum urinoso, ad analogiam quandam mixturæ dicendæ.

dicendæ. *Fasciculus* alter medic. singul. in app. E. N. C. 7. habet *Elixir* quoddam *Proprietatis* cui pro menstruo est vinum Hispanicum, pro accessorio *Mixtura Simplex* de tribus, non sine laude ad varios affectus. Et in seqq. occurrit *Mixtura Stomachalis Cnæffellii*, scil. elixyr *Proprietatis* & *Matthioli* cum *Mixtura* de tribus; *Mixtura* item *Splenetica*, in quâ illi de tribus denuò accedit Spir. Tartari, Cochleariæ, Sulphuris, &c. Scil. *Compositionum* talium non est inis: Siquidem *Ipsa Mixtura* fit *menstruum*, vel medium solvendi massas, formandis olim *Pilulis* destinatas; exemplo *Extracti Panhymagogi*, Laxantis *Splenetici*, varium varii generis hominum, scil. *Hypochondriacorum*, experti iudicium.

Sed quid videtur de illâ *Ludovici* alterâ, quâ Spiritui *Tartari* substituit Spiritum *Ammoniaci*, & hujus partibus 8. addidit Tinct. Ther. partes decem, Spir. Vitrioli subtilioris seu roridi p. 2. (aliquandò saltem 1. & *Ammoniaci* 9.) Utrum ad eam respexit *Linus*? Nunc eò deventum est, ut quivis sibi propriam eligat preparationem, hic acidam expetit *Tincturam*, ille *urinosam*, alius *salsam*, atque alius *crem aromaticam*. Et alibi: *Dubito, an nobilius impetres remedium, spiritum Tartari Volatilem cum Spiritu Vitrioli misceas, quoniam ab hujus core Sal illius volatile iterum destruitur; saltem, qui Mixturam Simpli- em aut Tincturam Bezoardicam ut vulgo paratur, ex acidis, aromaticis, atque spirituosis, utilem quandoque reperit, ejus intentioni neque Spir. Vol. Tartari neque Camphora in majori pondere adjecta satisfacere vel conve- nire poterit.* Non desunt tamen, qui ad imitationem *Ludovici* suas videntur ordinasse *Mixturas* simplices, vel quasi tales. E. g. *Spiritus Carminativus Vateri* dicitur constare Spiritu Nitri Dulci optimo, cum subduplo Spiritus *Ammoniaci* *urinosi* digesto, destil- lato: *Fr. Hoffmanni* *Liquor Bezoardicus* Spiritibus Nitri & Vitrioli dulcibus addit *Eboris* & *Tartari* volatiles, datur in vehiculo *Cordiali*, non sine acido: *Spiritus Cephalicus à Gobbio* in notis ad *Daelmann* descriptus & *Antepilepticus*, in affectibus *Capitis* à *Da- manne* specificus, utpote in quibus suæ sint laudes *Mix- turæ*

turæ Simplicis) paratur per commixtionem & destillationem duplicem, Spiritûs Vitrioli optimi ad Spiritum Vini subtripli, & hujus cum subduplo Spir. Corn. Cervi. Quod si tamen Spiritum Vini nolis aut non feras, quid vetat, quò minus aliquod Enixorum diluas & assumas in vehiculo aqueo: certe *Pharm. Aug.* ita Sal Volatile Succini & Cornu Cervi solvit in Aquâ Ceraforum pro famoso illo *Liquore Corn. Cervi Succinato*. Addi autem prioribus potest illud *Secretæ* l. c:  $\mathcal{R}$ . Salis Vipera- rum aut Serpentum nostratium vel in horum defectu, Salis Cor- nu Cervi aut Lumbricorum terrestrium, volatilis candidissimi, ac optimè cum Spiritu Vini (ad modum *Schrækii* in E. N. C. 2. x.) à scoriis foetidis sublimati Unc. ij. quod cum Spiritûs Vitrioli Martis Suffenâ Quantitate ad saturitatis punctum ligetur, donec strepitus inter instillandum omninò cesset.

Cum *Dnn. Oppon.* ergò vel disputabimus vel consultabimus: Ad acutorum malignorum (etiam chronicorum a causa calida cum orgasmis) curationem, tendentiæ malæ à peripheria ad cen- trum præcavendæ, meliori à visceribus ad ignobiliores extrorsum promovendæ, raptui humorum ad Caput solenni deprimendo, dis- solutioni mixturæ putredinosæ, minabundæ inflammationis mor- tificationi prohibendæ, &c. *Utrum* convenientius sit, *Alexipharmacos Pulveres, Theriacales Species, Galenicorum Spem*, dare cum aqua, vel Vini Spiritu? *Essentiæ* tales, & *Salia Volatilia Urinosa, Chymicis* laudata, utrum requirant *Acidum* infringens? Aut acidum videatur illis *tempe- randum*, ne offendat teneros? Quodnam eligendum e *tribus* potiori- bus? Quantum conveniat, cedat, vel præstet hisce illud *aceti*, *Curi*: An existis emergat enixum *nitro* præstantius? vel sit præstantior chy- micis formula galenica, e. g. *haustus Fracastorii* in disp. *Germani* proponendus? Tandem ex non tam tribus, quàm quasi quatuor, sc. Vini Spiritu, quâ Theriacali, ex urinoso atque acido, mixtura simplex an sit servanda? dum innotescat *Specificum*, ex alcali aut acido fortè non procedens, opponendum malignitati febrili?

De Tartaro adhuc in Specie quæstio erit: *Utrum* sit ab ipso chynicè sperandum adeò singulare quid & salutare, quod ipsius accessum faciat necessarium? *Spiritus* per se destillati odor gravis, nec gratus sapor, an sine deperditione desideratæ virtutis possit corrigi? *Acidum* quod in ipso est cujus naturæ? Equidem ex doctrinâ reagentium Minium solvit ad dulcorem adstringentem, Quod cum alcali ex isto obtinetur *Urinosum* vegetabile an præstantius animalî, eque depurato? *Gas* in destillatione vix coërcibile utrum & quomodo potest cogi? Et numquid ultra ab hoc sperandum, quàm vulgò suppetit à prioribus? Atque adeò denique pro *Mixtura Simplicè* an retinendus *Spiritus Vulgaris*? vel parandus *Volatilis*? vel substituendus *Ammoniâcî urinosus*?

Atque ita satis videbatur datum *Mixturæ Simplici*, *Celebri* remedio, vel satis ad minimum materiæ disputabilis paratum. *Opponentibus*: sed fuga vacui requirit plura. Sequuntur itaque in supplementum

## COROLLARIA.

### I.

*Liquor volatilis oleosus etiam posset dici Mixtura de Tri-  
bus, sc. aromático, vinoso, urinoso: Singulari tractatu decla-  
ratus à Wedelio.*

### II.

*Prædicatum Diatrion competit etiam Mixturæ Tonicæ Strah-  
ii, sed substituto alcali pro acido, sc. tincturam indè acrem  
miscendo cum Spir. corn. cerv. rect. Hanc autem vix nisi in chro-  
nicis præscribi observo, ad hæmorrhagias dari mirabar, apud  
Scorbuticos frigidos & hydropotas locum magis habere suspicatus.*

### III.

*Utrum Essentia Dulcis, magna nuper fama, jam minoris,  
præter*

*præter delicatam alcali tincturam, & tantillum olei ætherei, habeat Sulphur Solare, determinandum Aliis relinquo.*

IV.

*Lullius redivivus non modò mundificans ex sale urinae volatili in spir. tart. rect. soluto, sed & famosam volatilisationem salis tartari fixi per oleum urinae (annon & tartari?) fœtidum, promittit quid si pro complemento iterum ternarii spiritus vini accesserit saponi tali philosophico?*

V.

*Tria sunt etiam Elixiri Proprietatis, tam cum quàm sine acido: quanquam hoc videtur posse dici sine alcali quoque; Spiritus enim vini, speciebus per alcali reclusis, tinctus à subjecto menstruo decantatur.*

VI.

*Quid videtur de trium chymicorum, salis, sulphuris, & mercurii, ex Magnesiâ Saturninâ elaboratione, & in Astrum Solis conjunctione?*

VII.

*Meretur etiam proponi, cujus supra fuimus obliti, Sal volatile Sudoriferum, ex app. pharm. Fuller. sc. Spir. ther. unc. decem, spir. vitr. vol. & sulph. rect. ana tres unc. spir. tart. subtil. & sp. sal. ammon. ana unc. du. sem. diger. destill. Laudandum ibi porrò; Menstruum pro Tincturâ Epilepticâ, cum Castoreo Succino, Croco, Fl. lil. conv. parandâ.*

F I N I S.

